



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXXI. Cervus veneno infectus ex vulnere, ad fontes aquarum  
currit: typus animæ ad crucifixum anhelantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

des, quorum collisionem & jactum formidans lupo, mox in fugam se recipit, quia ex ea parte, quæ lapide tactus est, verminare solet, & computrescere, ac tandem perire.

Si te invadit lupo infernalis, anime mi, & prædo ille nocturnus te ad libidinem sollicitat, citò apprehende lapidem, & projice in eum; Lapis autem iste alius non est, quàm lapis angularis, supra quem adificati sumus, Christus JESUS & hic crucifixus, ad cuius SS. Nominis invocationem sine mora fugam arripiet. Imitare denique apiculam, quæ dum ad flores evolat, & interim ventus insurgit vehementior, lapillum colligit, ut gravior fiat, & sic vento possit resistere. Si insurgunt in te venti tribulationum &c. Collige lapidem angularem, principalem, crucifixum JESUM, & securus eris.

## CONSIDERATIO CXXI.

Cervus veneno & vulnere faucius, & ad fontem aquarum properans, typus animæ ad Crucifixum anhelantis.

*Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Psal. 41. 2.*

1.

**D**Avid Israelitarum Rex venationibus se sæpius, prout solent Principes, exercens, bellisque assuetus, sæpe à venatione & armis in psalmis suis comparationes ducit, unde & psalmum quadragesimum primum à cervi venatione orditur: *Quemadmodum, inquit, desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Vult dicere David: Quanta velocitate & aviditate cervus post cruentas pugnas cum hostibus suis, ac præsertim post dilacerationem & comestionem serpentum siti æstuans, ad fontem ac fluminum latices rapitur, ut vires reficiat, sitimque restinguat: tanta animus meus pernicitate inter tot adversa & continuas pugnas cum

L II 3

cum hostibus, ac serpentibus infernalibus ad fontem vivum anhelat, ut in DEO bonorum & gratiarum omnium fonte novas recipiat vires.

Tali affectu, animæ Christianæ, & nos ad fontem vivum, crucifixum JESUM, & ad Sacratissima ejus feramur Vulnera, ut à peccatis nostris sanemur. Audiamus plura.

Probat expectantis,

2. Cervus crucem in medio gerit pectoris, habet enim in corde carneo duo ossicula in modum crucis disposita: tales & nos simus, crucem Domini nostri JESU Christi jugiter in corde nostro circumferentes. Talis fuit S. Lucas Evangelista, patriâ Antiochenus, professione Medicus, pictor & Amanuensis B. V. MARIE, ac tandem S. Pauli Ap. peregrinatione socius, de quo Ecclesia in oratione illius festi: *Qui crucis mortificationem, jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit, donec tandem in Bithynia Evangelicam legem promulgans, pro Magistri sui crucifixi amore & ipse ex olea fuerit suspensus anno ætatis 80. Cujus corpus & tumbam olim Paduæ in templo S. Justine V. M. caput autem Romæ in Vaticano S. Petri, & brachium dextrum, quo S. Evangelium scripsit, ad S. Mariam Majorem veneratus sum.*

Brev. Rom. 18. Octobr.

Sic, inquam, & nos cum cervo, imò cum S. Luca assiduo crucis mortificationem in corpore & animo nostro circumferamus: *Si comedis, ait Hen. Harphius, intinge bucellas in plagas JESU, si bibis, memento salis, quo in cruce potatus est, si manus abluis, memento sanguinis, quo animam tuam lavas. si cubitum concedis, singe tibi crucis lectulum, & caput tuum super pulvinar corona spine reclina &c.*

Hen. Harph in Schol. sap. t. l. c. 5.

3. Cervus inimicus est viperarum & serpentum maximus, quos halitu suo ex latebris evocat, ac devorat: *Trahit cervus, ait S. Basilus, è cavernis animalia venenata latentia: Ubi cervi presentia est, omnium ibi serpentum malitia fugatur, odorem enim cervi nulla ferunt animalia venenata; Et rationem addit, quia cervus nullo veneno serpentis ladi potest.*

S. Basil. in Psal. 41 2.

Christum considera, mysticum illum cervum, fatigatum ex itinere, & ad fontem Sichar sedentem, ut viperam venenatam (Mulierem Samaritanam, Photinam nomine) ad meliorem frugem reduceret: *JESUS autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, quasi horâ sextâ. Observa, horâ sextâ, ait S. Antonius Pad. erat illa hora, quando JESUS sedebat in fonte misericordia super crucem. Habent hic Sacerdotes omnes, præsertim curati, quomodo & ipsi debeant devorare peccata populorum, & quidem cum cervo sine damno, imò cum emolumento maximo: Peccata populi mei comedent.*

Jo. 4. 6.

Osca 4. 8.

4. Cervus est acerrimi auditus, dum enim fistulam, vel cantum audit pastoris, aures erigit, & multum in ejusmodi, licet rusticâ musicali

sic delectatur: Sic & nos aures nostras ad Dei vocantis vocem, & ad verbum divinum, ubi Christus & hic crucifixus prædicatur, erigamus:

Beatus qui audit verbum Dei.

Luc. II. 28.

Cervus animal velox est, sed & pavidum, dum ad quemlibet strepitum fugit, & latebras suas quarit: Sic & beatus homo, qui semper est pavidus: Et beatus vir, qui timet Dominum. Prov. 28. 14.

Cervus, licet armetur cornibus, fugâ tamen magis, quàm pugnâ sibi consulit, unde Plinius: *Urgente vi canum ultrò confugit ad hominem*, de quo possum esse testis ocularis, quia similis mihi casus aliquando in venatione contigit. Sic fugiamus & nos omnem malam occasionem, & dum instat periculum à mundo, carne & diabolo, recipiamus nos ad DEum & hominem crucifixum JESum; ita S. Augustinus: *Cum me pulsât aliqua turpis cogitatio, recurro ad Vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione Vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordia Domini mei, & recedit à me.* S. Augu. in Man.

Cervus ex pugna & cursu fessus se lavat in fonte, aut flumine: Christus, ait S. Bernhardus, *nobis est fons, unde lavemur, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*; unde Vates Regius: *Apud te est fons vitæ. Et cur non, obsecro, ô peccatores miserimi, ad hunc gratiarum fontem anhelatis: Lavamini, mundi estote, pro vobis enim mortuus est in cruce.* S. Bernh. ser. 2. de Nativit. Psal. 35. 10. Isa. 1. 16.

5. Cervi felle carent, prout ait Aristoteles: ita & homo Christianus omni felle amaritudinis erga proximum carere debet; hinc Christus, licet esset in summis tormentis, fel tamen bibere non voluit: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cum gustasset, noluit bibere*, ut diceret nos omnia in calice, quem nobis porrigit Pater, esse mellea, & justos compleri gaudio, ac singulari solatio etiam in mediis tribulationibus. S. Paulum consule: *Superabundo gaudio, in omni tribulatione nostra.* Arist. 1. 2. hist. animal. c. 15. Matth. 27. 34. 2. Cor. 7. 4.

Cervus, ait Plinius, febrium morbos non sentit, quin & medetur huic timori & infirmitati: Christus sanans locum Petri: *Tetigit manum ejus, & dimisit eam febris.* Supra quod S. Ambrosius: *Febris nostra avaritia est: febris nostra libido est; febris nostra luxuria est: febris nostra ambitio est.* Anime mi! si simili febrî laboras, vade ad crucifixum JESum tuum, & medelam invenies. Matth. 8. 15. S. Ambr. in c. 4. Luc.

Cervi proles suas mirabili cursu & saltu exercere solent, dum eas ad prærupta ducunt, saltum monstrant, & fugam meditari docent, prout refert Plinius. Ita fecit Christus, cervus noster mysticus ac martinus, de quo S. Gregorius: *Ecce iste venit saliens in montibus. Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis fratres charissimi, ipsos ejus saltus agnoscere? De cælo venit in uterum, de utero venit* S. Gregor. hom. 29.

456 Consideratio CXXI. Cervus accurrens ad fontes aquarum.  
in praesepe, de praesepe venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro  
redit in caelum. Mirabiles saltus. Disce & tu, anime mi, de virtute trans-

1. Cor. 9. 24 fire in virtutem: Sic curre ut comprehendas.

6. Cervi sese mutuam diligunt charitate, dum unus alteri in neces-  
sitate praesto est; cum enim maria ac flumina ad meliora invenienda  
pascua transnatare discipiunt, gregatim sese ad ripam congregant, ubi  
primus ac fortissimus illorum in undas se mittit, caeteris pulcherrimo  
ordine sequentibus, ac capita sua praecedentium tergis imponentibus,  
& sic mutuo auxilio feliciter ad portum perveniunt. Ita S. Augustinus:

S. Aug. 1. 8. Cum fratrum ad insulam transeunt pascuorum gratiam, sic se ordinant, ut onera ca-  
piti suorum, quae gestant in cornibus, super invicem portent, ita ut posteriori su-  
per anteriorem cervicem projectam caput collocet. Discite o mortales omnes vel  
quasi 74.

Gal. 6. 1.

re charitatem: Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi.  
Ecce praecessit nobis exemplo Crucifixus Dominus, crucem suam su-  
pra humeros bajulans, & cornua habens in manibus suis. Eja sequa-  
mur fratres, crucifixum Ducem nostrum per hoc mare magnum &  
spatiosum hujus mundi, donec cum illo ad felicem aeternitatis portum  
perveniamus; unde S. Ignatii Ep. & Martyris votum erat: Paratus sum  
ad ignem, ad bestias, ad gladios, ad crucem: tantum ut Christum videam Salva-  
torem meum, & Deum, qui pro me mortuus est.

S. Ignat. M.  
ep. 4. ad  
Tharienteses.

Surius, Ly-  
raeus & alii  
plures.

7. Coronidem huic considerationi imponat S. Hubertus ex nobi-  
lissima familia in Aquitania natus, cui adhuc Gentili & venationibus  
assueto in sylva mira magnitudinis cervus, ex latebris erumpens, ap-  
paruit, & inter cornua Christus Crucifixus, qui cum sic allocutus est:  
Quandiu Huberte, in captandis feris occupaberis? Deum tuum cognosce, illum  
ama, ut in aeternum eo potiaris: Ad quae verba quasi fulmine tactus cecidit  
Hubertus, illa Sauli postea Pauli verba identidem ingeminans: Do-  
mine quid me vis facere? Misit illum Dominus ad S. Lambertum, a quo  
in fide Catholica instructus fuit, ac tandem Episcopus Tungrensis fa-

ctus, cujus memoria tertio Novembris in Martyrologio Ro-  
mano agitur, Felix qui vocem Domini non surda  
pertransit aure.



CON.